



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Epistolae Damasi Papae I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

plura martyrum sepulcra. De versibus ab ipso conscriptis, vide Baron.

<sup>a</sup> *Inuidiose accusatus.*] Schismatici cum legitimam pontificis ordinationem nulla hostium invidentium calumnia labefactare possent, eademque imperatori & magistratibus nota essent, ad fallas eademque turpissimas accusationes conuersi sunt, ut patet ex literis Valent. Virum sanctissimum & purissimum adulterii accusarunt, quem S. Hieronymus epist. 50. virginem ecclesieque virginis doctorem appellat.

<sup>k</sup> *Hic constituit.*] Consuetudo illa ecclesiastica conueniendi ad ecclesiam, & diu noctuque psallendi, antiquissima est, apostolorum institutione ad nos deriuata. Huius consuetudinis Romae Lucianus in Philopatro; in oriente Plinius lib. 10. epist. 98. meminerunt. Vterque autem sub Traiano imperatore vixit. Iustinus martyr in oratione ad Antoninum Pium, Clemens Alex. oratione ad gentes, Tertull. lib. 2. ad vxor. cap. 6. Cypr. de orat. Domini, hymnos & psalmos in fidelium conuentibus decantari solitos, manifestis verbis affirmat. S. August. epist. 119. cap. 18. dicit, hanc consuetudinem non aliunde, quam ab ipso Domino & apostolis acceptam esse. Idem Basil. epist. 69. aduersus haereticos hanc consuetudinem improbantem scribit, his verbis. *Ad id vero, quod propter psalmodias accusamur; quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui vos traducunt, hoc habeo quod dicam: quod videlicet qui iam obtinuerunt ritus omnibus ecclesiis Dei concordantes sunt & consoni. De nocte siquidem populus con surgens, antelucano tempore domum orationis petit: inibi que labore & tribulatione ac lacrymis indeficientibus facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succincentes psallunt. Et paulo infra. Deinde vni ex his id muneris datur, ut quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinant: atque ita in psalmodia veritate, precibusque subinde interiectis noctem superant, &c.* Vide Baron. anno 60. num. 36. & seq. Vnde quod hic scribitur a Damaso institutum, ut die noctuque psalmi in ecclesia canantur, falsum est, & ab aliquo superadditum; nisi haec de forma quadam psallendi ab ipso praescripta explicemus. Baron. anno 384. num. 20.

Morem canendi in ecclesiis die ac noctu, an Damaso instituerit.

## EPISTOLÆ DAMASI PAPÆ I.

Epistola nomine Damasi ad Aurelium episcopum Carthaginensem, Gratiano Augusto 3. & Equitio consulibus scripta, quam in exordio suae collectionis Isidorus mercator collocauit, commentitia est. Cum enim S. Augustinus anno Christi 385. Mediolani conuersus, post quadriennium in Africam rediisset, Aurelium adhuc Carthaginensis ecclesie diaconum agere reperit, ut testatur ipse lib. 22. Cant. cap. 8. quomodo Aurelius Carthag. episcopus, Gratiano 3. & Equitio consulibus, anno nimirum 374. ad Damasum scripsisse potuit, cum ante annum Christi 389. nondum episcopus creatus fuerit? Vide Baron. anno 374. num. 11.

Epistola Damasi ad Aurelium commentitia.

*Concil. Tom. 3.*

Ll ij